

RHYZELIUS, ANDREAS OLAVI

**Mnemonica historiæ sviogothicæ epitome,
dodecade quæstionum inclusa, in nonnullis
auctior & correctior,/(Andr. Ol. Rhyzelius)
Lincopiæ tertium impressa M.DCC.LI. [G.
Biörckegren.]**

Linköping
1751

EOD – Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 10 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
- Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
- Skriv ut enstaka sidor eller hela boken.
- *Sök*: Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
- *Klipp & klistra*: Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.


- Villkoren på svenska: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 30 bibliotek från 12 europeiska länder denna service.

Mer information finns tillgängliga via <http://books2ebooks.eu> alla boken.

- <http://search.books2ebooks.eu/>



Kongl. Biblioteket.
STOCKHOLM.

Hist.

Li.

Alm.

1700 - 1829

af A. O. Rhys hies

*Paulus Zach: Furin-
die 6^{ta} Aprilis*

MNEMONICA

1757

HISTORIÆ

SVIOGOTHICÆ

EPITOME,

DODECADE QUÆSTIONUM

INCLUSA,

*i. d. v. g.
L. v. d. h.
p. v. d. m.
m. v. d. j.
m. v. d. i.
m. v. d. s.
g. v. d. g.
v. d. l.*


In nonnullis auctior & correctior;

LINCOPIÆ

Tertium impressa cl. lccc. li.

*J. Paulus Zach: Furin-
gus die 6^{ta} Junii 1757*

Historie = 60 P. 11



Ἀρχαιοφίλοισι ΠΑΤΡΙΔΟΦΙΛΟΙΣ -
 ὑγιαίνειν καὶ εὖ πράττειν!

Quam in scientiis, quibus tenera ingenia
 in publicis patriæ nostræ Scholis imbui
 solent, SVIOGOTHICA HISTORIA, post
 Theologiam, multò suò meritò, seu utilitatem
 seu jucunditatem spectemus, palmam sibi
 vindicet, & tamen aut nulla aut perexigua
 hucusque ratio illius habita sit: Operæ preti-
 um duxi, consensu & consiliò eorum, quos
 veneror, Mnemonicam & Erotematicam hanc SVI-
 OGOETHICÆ HISTO-
 RIÆ Epitomen eò animò offerre, ut patria
 juvenus, quæ studiis operam navat, promul-
 sidem vel προποτισμὸν inde habeat ἰσορρογω-
 σίας, in adultiori etate feliciùs adaugende
 & in quolibet vitæ genere multùm profutura.
 Suspicionem difficultatis pariter ac obscuri-
 tatis non effugerit hæc opella (quùm duode-
 cim solùm, ad totidem quæstiones datis, re-
 sponzionibus tot seculorum famosissima &
 amplissima gentis Historiam complexus sim);
 sed utramque profligabit sedula historici Præ-
 ceptoris industria, cui facilimum erit, ex sin-
 gulis harum, centenâs vel plures formare quæ-
 stiones

stiones, ad quas quid discipuli respondeant, allata heic responsiones promptè suppeditarint. Ipsum Ludimagistrum diligens iuvabit SVIOGOTHICorum Scriptorum lectio, & si quando deprehenderit in illis discrepantiam ab hisce; presertim in Chronologicis vel Genealogicis; credat, historicos nostros in ejusmodi plurimum hucusque fuisse hallucinatos; me verò tutissimam & ab Antiquariis Historicisq; recentioribus vindicatam sententiam pro virili secutum. Quod presciscinè dixerim. Prorsus enim absum ab illà mei fiducià, ut me in hisce ἀπρόσοχον aut ἀπρόσπιστον putem. Censorem admitto. Benignum opto. Meliora edoctus, lubens corripior. Preter utilem facilemque juventutis in Historià Patrià institutionem, nihil nunc intendo, indignum arbitratus, Scholasticam apud nos pubem Romanas Græcasq; ediscere, SVIOGOTHICAS ignorare Historias. Qui lynx est foris & talpa domi priscò proverbio vapulat. Secus facienti fumus patriæ luculentior est alieno igne. Et, iudice Tullio, nescire, quæ ante se gesta sunt, iu primis intra patriam, est totà vitâ puerum esse. Scribeb. Lincopie d. 18 Octobr. annò cl. lccc. xxv.

ANDR. OL. RHYZELIUS.

Quòd DEUS bene vertat!

I. *Quid in SvioGothicâ historiâ in primis observandum?*

SVIOGOTHIAM, quæ *Atlantica, Manbemia, Scandinavia* aliisque nominibus antiquitus dicta fuit, non multis à diluviô seculis accepisse incolas, atque eos, à nullô deinde hoste fede suâ pulsos, tam felicitate armorum, quàm per populosas subinde factas emigrationes, imperium suum & genus per universam Europam & ultra protulisse. Hinc dicta fuit *vagina & officina gentium*; & de antiquitate ac priscâ populi hujus potentiâ testis est, præter multos alios, Cornel: Tacitus, primi seculi scriptor, his verbis: *Svionum civitates, ipsò in oceanò, præter viros armâq, classibus valent.*

II. *Quomodo SvioGothica Historia commodè dispesci potest?*

In duas PERIODOS majores: *Ethnicismi & Christianismi*. Quarum PRIOR reges idololatrias five gentiles; POSTERIOR Christianos reges complectitur.

III. *Quinam & quot idololatriæ SvioGothorum reges fuerunt?*

Hos numerô plurimos fuisse, verum est,

est; tam per viginti propemodum secula ante, quàm per decem ferme secula post natum CHRISTUM. Quos a *Magogò* Japheti filiò stupendè longâ serie recensuit *Joannes Magnus* & post illum alii; sed fide, per defectum *Chronologiae* & *Genealogiae*, plurimum vacillante. Illos tamen in *Atlingos*, qui ante *Odinum*, & *Inglingos* sive *Ingevones*, qui in seculò undecimò exspirârunt, commodè dividuos, invenit adcurator monumentorum inspectio.

IV. *Quinam inter ethnicos seu idololatrâs SvioGothiaë reges maximè fuerunt memorabiles?*

Plurimi; in his verò *Odinus* idololatriæ instaurator; *Ingo II.* *Odini* abnepos, sub quò natus fuit CHRISTUS; *Ingellus*, qui, regulis provinciarum dolò & igne sublatis, avitam monarchiam redintegravit, & plures alii. Quibus prodigiosa ferè facinora leguntur attributa. Sed illis recensendis supersedemus, quum remotissimorum horunce temporum historia suspitione fabulæ passim laboret.

V. *Quot & quos Christianos reges habuit SvioGothia?*

Si *historicè*, id est, cum verâ & certâ cogni-

cognitione respondebimus, sciamus, & portet, conversionem gentium SvioGothicarum à gentilismô ad Christianismum (si non prius) seculis nonô & decimô subindetentatam per ANSGARIUM atque alios, è *Germaniâ & Anoliâ* huc delatos, Euangelii doctores; sed avitam idololatriam semper ita heic prævaluisse, ut, rudimentis seu initiis Euangelii suffocatis & abolitis, recidivam in idolomaniam sæpe fecerint SvioGothi. Donec tandem, sub finem seculi decimi, regnante OLAVO, *Erici Victoriosi* filiô, qui *Skötkonung* dictus fuit, per universam ferè SvioGothiam Christiana religio invalesceret. Ab hoc itaque rege, penes quem cura religionis pariter ac regni fuit ab annô CHRISTI 994 ad ann. 1024, EPOCHAM *Christianismi* in SvioGothiâ numeramus, atque certam ab ejus tempore Chronologiam habemus, circa reges sibi continuâ serie postea succedentes, observandam. Omnes hujus OLAVI *Skötkonungs* successores (unô *Svenone Victimariô* exceptô) reges Christiani fuère. Qui dispesci possunt vel ratione religionis in CATHOLICOS seu Pontificios ab OLAVO *Skötkonung* ad GUSTAVUM primum

rum per quinque integra secula, & *EU-ANGELICOS* à dictô *GUSTAVO* primô ad nostra usque tempora per duo secula & quod excurrit; vel ratione *familiarum*, è quibus oriundierant; diversimode, ut quosdam dicamus *Inglingicos*, quosdam *Stenkillianos*, quosdam *Sverberidas*, *Ericianos*, *Folkungicos*, *Transmarinos*, *Gustavianos*, &c. vel denique commodius in tres *Regum Classes*.

VI. *Quæ sunt ergò tres illæ Christianorum SvioGothiæ Regum CLASSES?*

PRIMA continet Reges indigenas ab *OLAVO Skötkonung* ad *Albertum Megapolitanum*, per tria cum dimidiô secula.

SECUNDA complectitur Reges extraneos a dictô *Alberto* ad Regem *GUSTAVUM Wase* sive *Erikssonium* vel *primum*, per sequialterum seculum.

TERTIA iterum indigenas Reges, sed *Euangelicos*, comprehendit, per duo proxima secula potentissimos, à *GUSTAVO* primô ad nostra usque tempora.

VII. *Quinam fuerunt PRIMÆ CLASSIS Reges, & quid de illis memorabile?*

Huc spectant reges, ex quinque diversis familiis prognati, quorum res & fata *SvioGothici* *Scriptores* diffusè memo-

rant. Nobis suffecerit nomina eorum & annos obiter recensere.

QUIDAM fuerunt è familiâ *Ynglingicâ*, id est, perantiquo Regum stemmate, ut hi tres 1. *OLAVUS* Skötkonung vel *ibem Svenske* vocatus, qui tricesimum se numeravit ab Odino rectâ lineâ descendentem, & Skaræ obiit circa ann. 1026. 2. *AMUND*-seu *ANUND*-*JACOBUS*, Olavi filius, *Kolbrenna* nuncupatus, ab ann. 1024 ad ann. 1051. 3. *EMUNDUS*, rectè *Gammal*, perperam *bin Stemme*, dictus, itidem Olavi Regis filius, sed ex conjugè impare, regnavit ab annô 1051 ad ann. 1061. Post hujus mortem in duobus *ERICIS*, altero Regis Amundi, altero Emundi filio, regalis throni hæredibus & Candidatis, postquam mutuis armis concidissent, Ynglingica Regum Sviog. familia, quâ masculos, expiravit.

QUIDAM ex familiâ *Stenkillianâ*, uti 1. *STENKILLUS II*, Ragvaldi Jarli W-Gothici filius, Olavi Regis Sororius, (ut quidam volunt) & gener Regis Amundi-Jacobi, præfuit imperio ab ann. 1061 ad ann. 1066. 2. *HARQUINUS RUFUS*, Ingevardi vel Ivari filius & Stenkilli successor,

cessor, antea *WesterGothiaë* *Wermelandiaë*que Jarlus, tranquillô regnô usus ab ann. 1067 ad ann. 1080. 3. *INGO Senior*, *Stenkilli* filius, regnavit ab ann. 1080 ad ann. 1112. Interim *SVENO* *Victimarius*, *Tovonis* *O-Gothici* Jarli filius, *Reginæ* *Mö* frater, sese intrusit atque interit, circa ann 1082. 4. *HALSTANUS* unâ cum fratre *Ingone* atque post eum regnum tenuit, ad ann. 1118. 5. *PHILIPPUS* *Halstani* filius successit Patri atque obiit ann. 1122. 6. *INGO Junior*, maritus *Ragnhildis* *Sanctæ*, *Philippi* frater regnum cum fratre administrârat; sed solus ab ann. 1122 ad ann. 1129, quando in *OsterGothiâ* venenô periit. 7. *RAGVALDUS* *Stenkilli* ex filiô *Olavô* nepos, *Knaphæfde* dictus, utpote *Knaporum* five satellitum ductor aut primipilus, Rex ann. 1130, ad *Kalleput*, fons est parœciæ *OErgrÿta* in *Sâvedalensi* *W-Gothiaë* nomarchiâ, non procul à *Gothoburgô*, quod hodie est, infidiis aut armis competitoris, *Magni Nicolai Dani*, occubuit ann. 1133.

QUIDAM ex *Sverkerianâ* & *Ericianâ* familiis alternatim regnârunt, ceu ex subiectô Schemate adparebit.

I. SVERCHERUS I,
Koli Kornubbi fili-
us, O-Gothus, Re-
gis Svenonis Victi-
marii nepos. Patre
suô regnum obla-
tum detrectante
aut post paucos an-
nos deponente, ele-
ctus annô 1133 ab
OsterGothis, Rex
totius Sveciæ 1135,
occisus die 25 Dec.
ann. 1151.

2. CAROLUS VII,
Svercheri filius, e-
lectus ann. 1162, oc-
cisus d. 12 Aprilis
ann. 1168, in Wi-
fingsö.

3. SVERCHERUS II,
Caroli filius, *Hack*
& *Blâfot* dictus, co-
ronatus annô 1199,
obiit d. 18 Julii,
annô 1210, cæsus
in præliô Gistelre-
nensi.

I. ERICUS IX, Jar-
li W-Gothici *Edu-*
ardi Bondes filius,
Regis Svenonis Vi-
ctimarii nepos ex
filiâ Ceciliâ, Ingo-
nis gener, *Sanctus*
dictus. Electus ann.
1152. martyr Upsa-
liæ d. 18 Maji, an-
nô 1161.

2. CANUTUS Eri-
ci filius, electus
annô 1168, obiit in
Eriksberg prædiô *Ga-*
ta W-Gothiæ an-
nô 1199, d. 8 April.

3. ERICUS X. Ca-
nuti filius, cædi
fratrum subductus
â *Fale bin unge*, Bu-
reæ gentis progeni-
tore, 1205, corona-
tus 1208 d. 17 Nov.
obiit 1216, d. 10 A-
pril. in *Wisingsö*,
sepultus in *Warn-*
hem.

4. JOAN-

4. JOANNES I, Svercheri filius, *bin Unge* perperam dictus. Verè tamen *bin frome*. Electus annò 1217, & coronatus annò 1219, obiit *á-tenvos* & cœlebs d. 11 Martii annò 1222.

4. ERICUS XI, Erici filius, *bin Lespe & Halte*, Rex annò 1222, vix tunc duodecennis. Obiit d. 2 Februar. annò 1250, in *Wisingsö*.

QUIDAM denique è familiâ *Folkungicâ* oriundi, quales fuerunt, qui sequuntur.

1. WALDEMARUS, Birgeri Jarli II filius, electus annò 1250; coronatus *Lincopie* annò 1251, regnò abdicatus annò 1277. obiit *Nycopie* in carcere a. 1293.

2. MAGNUS I, *Ladulås* vocatus, itidem Birgeri filius, post excussum fratrem, *Sudercopie* coronatus an. 1277, laudabiliter præfuit, & obiit in *Wisingsö* d. 18 Decembr. annò 1290.

3. BIRGERUS Magni filius, impuber successit a. 1291, coronatus *Sudercopie* a. 1302, ob fratres *Ericum & Waldemarum*, Duces fame *Nycopie* annò 1317 enectos, rejectus annò 1318, obiit in arce *Spikaborg* *Daniæ* d. 31 Maj. annò 1231.

4. MAGNUS II Erici Ducis filius, *Smek* cognominatus, puer bienniselectus d. 9. Julii annò 1319; coronatus annò

ann. 1336, Rex etiam Norvegiæ ann. 1332, turbulento imperio usus, sub diris-
simâ peste, *swarta vel digra dæden* dictâ,
abdicator ann. 1351. Obiit tandem apud
filium Regem Norvegiæ annô 1374.
5. *ERICUS XII*, Magni filius, patri sur-
rogatus ann. 1355, venenô, per scelus
matris Blanckæ propinatô, extinctus,
optimus princeps, d. Jan. ann. 1360.
6. *HAQUINUS*, alter Magni filius, Nor-
vegiæ Rex, regnum etiam SvioGothi-
cum accepit, coronatus an. 1362 &
in Norvegiam suam sese victus recepit
ann. 1365. Hi viginti quatuor, quos
huc usque recensuimus, fuerunt Re-
ges PRIMÆ classis.

VIII. *Quinam fuerunt SECUNDÆ CLASSIS*
Reges, & quid de illis memoratu
dignum?

Hi, Germanicæ & Danicæ originis
Principes, unum alterumvé indigenam
habuerunt intermixtum. Singuli se-
quenti ordine sese invicem excepere.

1. *ALBERTUS*, Alberti Megapolita-
ni Ducis, ex *Euphemiâ*, Regis Magni *Smeks*
forore, filius, accitus, electus a. 1363, &
coronatus ann. 1364; atque, post turbu-
lentum ac durum imperium, à *Margaretâ*,
Danicæ

Daniæ & Norvegiæ reginâ in præliô ad Asled Westergothiæ captus d. 21 Sept. annô 1388, obiit in monasteriô Gadebusch annô 1396.

2. MARGARETA, *Waldemari III.* Daniæ Regis filia & *Haquini* Norvegiæ Regis, *Magni Smeks* filii, vidua, atque ita Daniæ simul Norvegiæque regina, captô *Albertô*, fasces SvioGothici imperii ipsa arripuit, demum electa annô 1395 &, post regnum *Erico* sororio suo sequenti annô traditum, peste extinctâ est d. 27 Octobr. annô 1412, femina supra sexum imperiosa & quasi famosa septentrionis nostri Semiramis.

3. ERICUS XIII *Pomeranus*, *Uratislavi VII* Pomeraniæ Ducis ex sorore Margaretae filius, in *Scarenibus* Comitibus, procurante Reginâ, ab ordinibus regni, annô 1396, unanimiter rex designatus & ad *Morastenar* prope Upsaliam, avitô ritu d. 21 Julii dicti anni electus, coronatus verò *Calmarie* ann. 1397, ipsâ S. S. Trinitatis Dom. d. 17 Jun. Quando memorabile illud & SvioGothiæ exitiale *fœdus Calmariense* factum est de æternâ trium horum Septentrionalium regnorum UNIONE. Hic Ericus, maritus *PHILIPPÆ*, Reginæ optimæ,

optimæ, post imperium plenè an. 1400
susceptum, oppressor regni, legum o-
pumq; everfor, regnis suis penitus exci-
dit an. 1440; illis verò postea non minus
perniciosus, donec Rugenwaldiæ in
Germaniâ suâd. 17 Aug. annò 1459 desi-
neret vivere.

4. CHRISTOPHORUS BAVARUS, *Bar-
kakonung* cognominatus, prædicti Erici
regis nepos ex sorore & ejus successor in
tria hæc regna borealia, ad *Morasténar*
electus & coronatus Upsaliæ annò 1441.
SvioGothis durus admodum Rex fuit.
Helsingburgi d. 5 Januar. annò 1448 a-
nimam exhalavit.

5. CAROLUS VIII CANUTI, indigena
& SvioGothici regni Marescallus a. 1435,
electus Stockholmiæ d. 28, & coronatus
Upsaliæ, d. 29 Junii a. 1448, atq; Niderosiæ
sive Trundhemix Rex Norveg. d. 21 Oct.
a. 1449; à rebellibus Episcopis & Proceri-
bus, Danicæ factioni faventibus, bis ter-
que imperiò exactus, denique a. 1464 re-
stitutus, regno bene præfuit ad mortem
usque, quæ incidit in d. 15 Maji, an. 1470.

6. CHRISTIERNUS I Rex Daniæ &
Norvegiæ, CAROLO legitimò Rege, per
rebellionem & Danicas molitiones, Dan-
tiscum

tiscum digressò, Rex *SvioGothia* electus
Stockholmiæ & coronatus Upsaliæ d. 29
Jul. annò 1457; sed annò 1464 rejectus,
CAROLO Canuti imperium relinquere
coactus, obiit d. 22 Maji, ann. 1481.

7. STENO STURE *senior*, Caroli so-
rorius & ab eò designatus *regni guberna-*
tor, Riksfens Föreståndare; annò 1470. diu
præfuit & laudabiliter; non tamen sine
turbis & patriæ afflictionibus. Quare in-
terea coactus fuit Regem Daniæ *Joannem*
admittere. Hoc verò exclusò, guberna-
cula imperii recepit d. 12 Nov. 1501, &
venenò infectus exspiravit *Juncopie* d.
13 Decembr. ann. 1503.

8. JOANNES II, *Christierni I* filius &
in regna Daniæ Norvegiæque successor,
ann. 1481 Rex *SvioGothia*, etiam con-
sentiente *STENONE*, Stockholmiæ solen-
niter creatus d. 9 Octob. ann. 1497. per
triennium aliquam *SvioGothici* regni
curam gessit, deinde vixit, donec Albur-
gi in Jutiâ obiret ann. 1513, d. 20 Febr.

9. SVANTO STURE, *Nicolai Bosonii*
filius, regni Marescallus, in locum Ste-
nonis *Gubernator regni* electus d. 21 Janu-
ar. ann. 1504, partes regis regiò sine no-
mine implevit. Exspiravit d. 2 Januar.
annò

annô 1512 Arosiæ, ibidem sepultus.

IO. STENO STURE junior, Svantonis filius non degener, & ejus in *Gubernatione Regni* successor, electus ad *Mora-Stenar* & confirmatus *Stockholmiæ*, d. 23 Julii, ann. 1512. patriæ suæ bene præfuit. Danicis insidiis, minis & armis impetitus, tandem succubuit, lethaliter vulneratus in præliô ad *Bogesundam*, nunc *Ulricshammiam*, *W-Gothiæ* d. 20 Januar. atque in viâ inter *Strengnesiam* & *Stockholmiam* d. 9. Februar. ann. 1520 extinctus.

II. CHRISTIERNUS II, Joannis Danici Regis filius, tyrannus, vivente patre SvioGothico etiam regno destinatus d. 3 Decembr. ann. 1497. Post casum Stenonis violentis & dolosis artibus illud occupavit, coronatus *Stockholmiæ* d. 4 Novembr. ann. 1520. Mox d. 8 Nov. laniatâ *Stockholmiensi* aliisque diris factis ejectionem meruit, quam excepit novenne exsilium & 27 annorum carcer. In quô tandem, d. 24 Januar. ann. 1559, animam exhalavit. Danicô sic jugô ejusque metu SvioGothia fuit liberata.

IX. *Quinam fuerunt TERTIÆ CLASSIS SvioGothici Reges & quid circa singulos illorum observatu est dignum?*

Hæc

Hæc Classis *indigenas* eosque *Euangelicos* complectitur Reges, ordine, qui nunc sequitur, enumerandos:

1. GUSTAVUS ERIKSSON WASE, natus in *Lindholmen Roslagorum* d. 12 Maji, ann. 1490. E custodiâ Danicâ elapsus & patriæ redditus, illam â Danis fortiter repurgavit. Ab Ordinibus *Gubernator regni* constitutus Wadsteni, d. 24 Augusti, ann. 1521. Rex electus *Strengnesiæ* d. 6. Junii, ann. 1523, & coronatus *Upsaliæ* d. 12 Januarii ann. 1528. Sviogothicæ libertatis vindex, religionis reformator atque imperii commerciorumque instaurator per omnia felicissimus, inter Sviogothicos plurimum seculorum Reges *indigenas* diutissimè regnavit. Obiit enim *Stockholmiæ* d. 29 Septembr. ann. 1560, pater Patriæ & auctor familiæ diu post regnaturæ.

2. ERICUS XIV, *Gustavi* filius, natus d. 12 Decembr. ann. 1533. Patris successor, designatus *Arosiæ* d. 13 Jan. an. 1544, coronatus d. 29 Junii, ann. 1561. Post bella plerumque felicia, in furorem & sævitiam atque ideo in carcerem actus, regnô excidit d. 29 Septembr. ann. 1568. In custodiâ & quidem in *Orebyensi* arce

d. 25 Februar. ann. 1577, venenô, ut perhibetur, extinctus, in *Basilicâ Arosiensi* d. 13 Martii sepultus est.

3. JOHANNES III, itidem *Gustavi* filius, natus d. 17 Decembr. ann. 1537, sub fratre Ericô quinquennem ferè, cum Conjuge *Catharinâ Jagellonicâ*, carcerem toleravit, Fratris successor coronatus *Upsalia* d. 10 Julii, ann. 1569. Rex strenuus, magnificus & Liturgiæ, quàm par erat, studiosior. Obiit *Stockholmia* d. 17 Novembr. ann. 1592; *Upsalia* d. 1 Februar. ann. 1594 splendidè sepultus.

4. SIGISMUNDUS, *Joannis Regis* filius, d. 20 Junii, ann. 1566, natus. Electus in Regem *SvioGothia* d. 18 Februar. ann. 1582. & *Polonia* Rex designatus d. 9 Augusti, ann. 1587. Patris successor coronatus ab M. Petrô Jonæ Helf. Episc. Stregn. *Upsalia* d. 19 Februar. ann. 1594. Gravibus de caussis *SvioGothicô* regnô, unâ cum progenie suâ, in perpetuum abdicatus ab ordinibus regni, *Lincopia* d. 19 Martii, ann. 1600.

5. CAROLUS IX, *Gustavi* filius & *Sigismundi* patruus, natus d. 4 Octobr. ann. 1550. Testamentô Patris *Dux Sudermannia*, *Euangelicæ* religionis sub *Liturgi-*

turgicis turbis fautor. *Sigismundò* fratris sui filiò in SvioGothicò thronò surrogatus *Lincopia* ann. 1600, coronatus *Upsalia* d. 15 Martii ann. 1607, exspiravit *Nycopia* d. 30 Octobr. ann. 1611, sepultus *Strengnesia* d. 20 April. ann. 1612.

6. GUSTAVUS II ADOLPHUS, *Caroli 1x* filius, natus *Stockholmia* d. 9 Decembr. ann. 1594. Mox post obitum Patris Rex electus d. 16 Decembr. ann. 1611. Post pacem cum Danis d. 16 Jan. ann. 1612 & cum Muscovitis *Stolbova* d. 13 Febr. ann. 1617, coronatus *Upsalia* d. 12 Octobr. ejusdem anni. Polonis *Rigam*, *Borussiam* & plura alia, ac deinde *Sexennes inducias* extorsit, Tandem *Germania*, suppeticas ejus expectanti, masculè & feliciter subvenit. Ceterum res illius, domi & foris, piè & prosperè gestæ, historiam vastæ molis conficiunt. Summam illarum sepulcrum ejus ad templum *Riddarholmense Stockholmia* aureis his verbis proponit: In Angustiis intravit: hostes prostravit: pietatem amavit: regnum dilatavit: oppressos liberavit: moriens triumphavit. Acerrimus enim hic Euange-

licæ religionis Ecclesiæque vindex, post plures de hoste reportatas victorias, in præliò *Luzensi* d. 6 Novembr. ann. 1632 victor occubuit, *Stockholmie* d. 22 Junii, ann. 1634 sepulcro illatus.

7. CHRISTINA, unica *magni illius GUSTAVI* filia & heres, nata d. 8 Decemb. ann. 1626, post mortem Patris per quinque *TUTORES* regnum, & per *DUCES* Germanicum Danicumque bellum mirabili cum successu administravit. Tandem *Stockholmie* d. 20 Octobr. ann. 1650 coronata, imperiò sese sponte abdicavit *Upsalia* d. 6 Junii, ann. 1654. Deinde regnò excessit atq̃, ejuratâ patriâ & avitâ religione Evangelicâ, Pontificiam acceptavit in eaque exspiravit, *Rome* d. 9 April. ann. 1689.

8. CAROLUS X GUSTAVUS, *Gustavi Adolphi* ex sorore *Catharinâ*, Joannis *Casimiri Palatini Comitum* conjugæ, nepos, natus *Nycopie* d. 8 Novembr. ann. 1622. in coronatione *Christine* ann. 1650 regno destinatus &, eâ ultro sese abdicante, ipse *Upsaliæ* d. 7 Junii ann. 1654 coronatus. Mox armis & victoriis Poloniam Daniamque lustravit, *Gothoburgi*, sub Comitum ordinum, d. 12 Febr. ann. 1660 febrî ardente extinctus. 9. CA-

9. CAROLUS XI, successor Patris & unicus regni heres, natus d. 24 Nov. ann. 1655, ex HEDEVIGE ELEONORA Principe Holsatâ. Sub tutelâ *Matris & quinque Regni Senatorum* adolevit, ad d. 18 Dec. ann. 1672, quando ipse manus imperio admovit, coronatus *Upsalia* d. 28 Sept. ann. 1675. Protinus plures hostes, simul omni impetu irruentes, masculè excepit & sustinuit atque post insignes hostibus extortas victorias, ann. 1679 pacem patriæ restituit. Deinde omnibus modis publicam salutem promotum ivit & emolumentis Svio-Gothiæ suæ procurandis immortalus est *Stockholmia* d. 5 April. ann. 1697.

10. CAROLUS XII, *Caroli XI* ex ULRICA ELEONORA Danicâ Principe, nuptâ d. 6 Maj. ann. 1680, filius primogenitus, natus d. 17 Junii, ann. 1682; unctus Rex *Stockholmia* d. 14 Dec. ann. 1697, Heros bellis, victoriis & cladibus per orbem nostrâ memoriâ celebratissimus. Ad *Friederici-Hallam*, arcem Norvegiæ, d. 30 Nov. ann. 1718 occubuit, *Stockholmia* die 26 Febr. ann. 1719 avito Mausoleo illatus.

11. ULRICA ELEONORA, *Caroli XI* filia, nata d. 23 Januar. ann. 1688, in lo-

cum Fratris *CAROLI XII* regina ab ordinibus regni electa d. 21 Febr. coronata *Upsalia* d. 17 Martii, ann. 1719. Imperium sponte derivari fecit in Conjugem & successorem, ann. 1720. Piam DEO animam reddidit d. 24 Nov. ann. 1741 & sub solenni mæstorum Ordinum planctu in novô Carolidum Mausoleô exuviis requiem invenit, Kalendis Decembris anni 1742.

12. FRIDERICUS, hereditarius *Hassie* Princeps, natus d. 17 April. ann. 1676; Gonjux Principis Hereditariæ *Ulricæ Eleonoræ* d. 24 Martii, ann. 1715. Electus Rex in Comitibus d. 24 Martii, & coronatus *Stockholmie* d. 3 Maji, ann. 1720. Qui, præter plurima patriæ nostræ gloriosis suis sanctionibus procurata commoda atque emolumenta, augustissimi nominis omen implevit trinâ pacificatione, scilicet *Danicâ* d. 3 Jun. ann. 1720, *Nystadiensi* cum Muscovitis d. 20 Aug. an. 1721 & *Aboensi* cum iisdem, d. 7 Aug. ann. 1743; piè pacideque, præsentē *SUCCESSORE* cum Senatotibus Regni, obiit d. 25 Mart. ann. 1751.

13. ADOLPHUS FRIDERICUS, Princeps *Holsatiæ*, Regius *Wafæi* stemmatis

tis furculus, natus d. 3 Maj. ann. 1710, con-
sonis Ordinum votis atque suffragiis d. 23
Jun. ann. 1743 Regis *FRIDERICI* in thro-
num Sveog. Successor declaratus, nomen
& regimen Regium capeffivit d. 26 Mart.
an. 1751 atque cum regiâ Borussiæ Princi-
pe *LOVISA ULRICA* d. 18 Aug. ann. 1744 in
Drotningholm auspiciatô ritu copulatus.

*Vivat ADOLPHUS FRIDERICUS LOVISA-
que firmet*

ULRICA Arctoum prosperitate thronum.

IX. *Qualia, sub recensitis Regibus, fuerunt
SvioGothici imperii fata?*

Reges PRIMÆ PERIODI, quos *ethnicos*
seu *idololatrias* diximus, quàm diu classi-
bus valuerunt, latè trans mare, quâ
orientem & occidentem, dominati sunt,
quod ex vetustis nostris & aliarum gen-
tium monumentis pronum est collectu.
Verùm, post maritimas vires sub *OLAVO*
Skötkoung collapsas, ultra *Svionix* *Go-*
*thiæ*que fines potentia regum ægrè se
extendit, nonnunquam valde labefacta
non modò vicinorum irruptionibus,
sed & internis diffidiis, per subdolas *Pon-*
tificum Romanorum, Sacram Monarchiam
molientium, machinationes, conti-
nuatis. Tandem, discussâ per DEI gra-

tiam Pontificum libidine & contracto vicinæ gentis jugo, Svia Gothica res, sub Evangelicis & indigenis suis Regibus, sensim adeo convaluit, ut amplas transmare hæc & illac provincias suæ ditionis reddiderit, gloriosâ plerumque pace difficilia bella terminante.

X. *Quæ præcipua Svia Gothi sub Evangelicis suis Regibus bella gesserunt?*

Varia illa fuerunt; maximæ verò molis sequentia: 1. MOSCOVICUM sub *Joanne III & Carolo IX* variâ fortunâ gestum, tandem sub *Gustavo Adolpho*, d. 13 Febr. ann. 1617, *pace Stolboviensi* compositum, quâ *Carelia & Ingria cum Kexholmieni præfecturâ* Svia Gothis cesserunt. 2. POLONICUM, inchoatum sub *Carolo IX* contra nepotem ex fratre *Sigismundum* & denique post unas alterasque inducias, terminatum *Olivienti pace* d. 3 Maji, ann. 1660 quâ Poloni jus suum in Livoniam prorsus resignaverunt. 3. GERMANICUM, quod *religionis* habebatur, ab ann. 1630 à *Gustavo Adolpho & Christinâ* filiâ ejus ad d. 27 Julii ann. 1648, quando per *pacem Westphalicam sive Osabruggensem* Svia Gothi, præter quinque milliones imperialium thalerorum, acceperunt *Pomeraniam*
citerio

citeriorem, Rugiam & Wismariam cum Ducatibus Bremensi atque Verdensi. 4. DANICUM sub *Christinâ Reginâ* ann. 1644 inceptum & *Bræmseebroënsi* terminatum *pace* d. 13 Aug. ann. 1645, non sine insigni *SvioGothici* regni incrementô, quippe cui redditæ tunc fuerunt *Jemtia, Herdalia, Gotblanda & Oesilia* unâ cum *Hallandiâ*, in firmamentum fidei & pacis per viginti sex annos possidendâ. 5. DANICUM, *Carolo Gustavo*, Polonicis rebus implicito, illatum magnôque impetu ab eô gestum; Sopitum verò *pace Roskildensi* d. 26 Febr. ann. 1658 & *Hafniensi* d. 23 Maji ann. 1660, cum *Scania, Blekingia, Hallandia & Wikia* seu *Babusiensis præfectura* restitutæ sunt *SvioGothis, in perpetuam & nunquam turbandam possessionem.* 6. DANICUM sub *Carolo XI* motum &, post quatuor insignes ab eô obtentas victorias, compositum *pace Lundensi*, d. 26 Sept. ann. 1679. 7. MOSCOVITICO-POLONICO-DANICUM, sub *Carolo XII* exortum & ultra 20 annos diversâ fortunâ continuatum, donec sub rege hodiernô *FRIDERICO I* exoptata pax anhelantem *SvioGothiam* tandem reficeret d. 20 Aug. ann. 1721. 8. MOSCOVITICUM denuò, sub *R. Fridericô* d. 24 Jul.

Jul. ann. 1741 denunciatum; sed sub conventu Aboënsi d. 7 Aug. ann. 1743. Compositum.

XI. *Qualis fuit in SvioGothiâ ratio & facies religionis sub enumeratis Regibus?*

Uti ex antè dictis constat, per tria ferè annorum millia, à primò inhabitationis tempore, ad OLAVUM *Skötkonung*, dira per universum septentrionem obtinuit idolomania, cujus præcipua sedes *Upsalia*, ubi *Thoro*, *Odinus* & *Frigga* immaniter fuerunt culti. A tempore dicti OLAVI regis usque ad GUSTAVUM *primum sive Eriksonium*, per quinque, & quod excurrit, secula, viguit in SvioGothiâ Christiana religio; sed Pontificiis superstitionibus atque tenebris heu! nimis involuta; quando tamen ad quævis curiæ Romanæ obsequia SvioGothi non passi sunt se detrudi. Inde à GUSTAVO I, qui reformationem religionis feliciter suscepit, promovit & perfecit, ad nostram usque ætatem, pura EUANGELII doctrina ubique & ab omnibus SvioGothis rite observata fuit; unanimiter recepta, in primis in Conciliò Upsaliensi d. 20 Martii, ann. 1593. Secularem memoratæ refor-

reformationis memoriam recolli fecerunt *GUSTAVUS ADOLPHUS* dieb. 21 Jan. Februar. & Martii, ann. 1621, & *FREDERICUS* Rex Augustissimus d. 17 Martii 1721, uterque solennibus per regnum *JUBILÆIS*. Sicut *CAROLUS XI*, in secularem dicti Concilii Upsalientis recordationem, festivum *JUBILÆUM* Upsalix, d. 26 Februar. ann. 1693 celebraverat. Proinde dici potest, *faciem* religionis apud SvioGothos *triformem* fuisse, cum, diversis licet temporibus, *triplex* apud illos floruerit *religio: ETHNICA, PONTIFICIA, & EUANGELICA*. Hanc nobis & posteris nostris inconcussam & illibatam servet auctor & stator religionis, *DEUS Optimus Maximus!*

XII. *Qua in SvioGothicò regnò olim fuit hodieq; est studiorum ratio?*


De ethnicis temporibus nolimus quidquam dicere. Post introductam Christianam religionem, illico patria juvenus literis imbuicæpit, *monachis* docentium & *monasteriis*, quæ centenarium numerum in SvioCothiâ procul dubio implebant, Scholarum vicem sustinentibus. Deinde cum successu temporis ad singula Cathedralia templa *Collegia Canonico-*
rum

rum & juxtà *Schola* publicæ, quas *Cathedrales* vocitabant, surrexerunt atque, pro habitu istorum seculorum, largam literatorum virorum messem protulerunt. Tandem ex *Collegio Upsaliensi*, quod annô 1235 institutum fuerat, *ACADEMIA* facta, diplomate *Sixti V. Pontificis* d. 21 Februar. ann. 1476 scriptô, atque *SvioGothici Senatus Consulto* d. 2 Julii, ann. 1477. *Academiæ* illius varia fuêre fata. Illam, sub motibus Liturgicis collapsam, magnificè restauravit *CAROLUS IX*; ampliorem verò &, qualis hodienu[m] est, reddidit *GUSTAVUS ADOLPHUS*. Qui etiam, ut *SvioGothi* sui literis & studiis nulligenti cederent, non modò singulis propè urbibus *Scholas* suas dedit, & circa annum 1628 quatuor regia *Gymnasia*: *Lincopiense*, *Strengnesense*, *Arosiense* & *Aboense*, largis stipendiis ac privilegiis dotata, erigi fecit; sed & *Gymnasium Dorpatense* in *ACADEMIAM* converti curavit, sub obitum regis, d. 15 Octobr. ann. 1632 solenniter inauguratam. *CHRISTINA*, exemplum magni Parentis æmulata, octo per *Finlandiam Triviales Scholas* excitavit & *Aboensi Gymnasio ACADEMIAM* addidit d. 15 Julii, ann. 1640 rite initia-

initiatam. Quin & quatuor à Patre Gusta-
 vò institutis *Sex* illa adjici voluit *Gymna-*
sia: nempe *Skarense*, *Wiburgense* & *Stock-*
holmiense (nunc *Gevaliense*) ann. 1640;
Wexionense verò, *Gothoburgense* & *Hernosan-*
dense ann. 1648, *triviales* singulis adjun-
 gens *Scholas*, amplis ubique constitutis
 stipendiis & salariis. Denique his tot &
 tantis *SvioGothiæ Athenæis* addidit CA-
 ROLUS XI ACADEMIAM CAROLINAM, Lon-
 dini Skanorum magnificè institutam &
 inauguratam d. 28 Jan. ann. 1668. At-
 que, sub felici illius regimine, prius di-
 ctis *Gymnasiis* consurrexêre, præter plu-
 res alias *Scholas*, *Calmariense* & *Carolistæ-*
diense *Gymnasia*. Quum autem hæc stu-
 diorum domicilia, è quibus, quando
 docentes & discentes gnaviter sua offi-
 cia faciunt, eruditi atque reipublicæ
 utiles viri quotannis catervatim pro-
 deunt, ab *Augustissimis SVIOGOTHIÆ*
Regibus in hunc usque diem conservata
 sint & munificè sustentata, judicatu e-
 rit facile, quò jure quâve veritate

dici possit SVIOGOTHIA

LITERATA.



MANTISSA,
 IMPERATORUM & REGUM,
 In Europâ hodie Regnantium,
 Nomina, Sedes & Natales in-
 dicans. Annô 1751.

IMPERATORES in Europâ
 sunt tres:

1. Romano-Germanicus, *FRANCISCUS I.*
 Lotharingicus *sedet* Viennæ seu Vin-
 debonæ, *natus* d. 27 Nov. ann. 1708, *Ele-*
ctus Imperator d. 2 Sept. ann. 1745. *Mari-*
tus d. 1. Febr. ann. 1736 *MARIÆ THERESIÆ*
WALPURGIS, Hungariæ & Bohemiæ Regina,
 à d. 9. Oct. 1740, *nata* d. 2 Maj. ann. 1717.
2. Turcico-Ottomannicus, *MAHUMET V.*
sedet Constantinopoli, *natus* ann. 1696,
amplissimi per Europam Asiamq; imperii Do-
 minus à d. 14 Oct. ann. 1730.
3. Imperio Moscovitico nunc præest *ELI-*
SABETH PETROWNA, *nata* d. 18 Dec. ann.
 1709, *sedet* Petropoli s. Petersburgi &
 Moscoviæ à d. 25 Nov. ann. 1741.

REGES in Europâ sunt Decem:

1. *SvioGothia* *FRIDERICUS I.*, *sedit* Stock-
 holmiæ, à d. 3 Maj. ann. 1720, *natus* d.
 17 April. ann. 1676, & beatè decessit d. 25
 Mart.

- Mart. ann. 1751. Cui successit ADOLPHUS FRIDERICUS vid. pag. 22, 23.
2. Hispaniæ FERDINANDUS VI, sedet Madriti à d. 28 Jun. ann. 1746, natus d. 12 Sept. ann. 1713.
 3. Portugalliæ JOSEPHUS sedet Ulyssipoli, Lisabonæ, à d. Jul. ann. 1750, natus d. 26 Maj. ann. 1714.
 4. Galliæ LUDOVICUS XV, sedet Parisiis à d. 21 Aug. ann. 1715, natus d. 4 Febr. ann. 1710.
 5. Magnæ Britanniæ GEORGIUS II, sedet Londini, natus d. 19 Octobr. ann. 1683; simul Elector Hannoveranus, successit Patri defuncto 1727 d. 11 Junii.
 6. Daniæ FRIDERICUS V, sedet Hafniæ Kœpenhamn à d. 26 Jul. ann. 1746, natus d. 20 Mart. ann. 1723.
 7. Poloniæ FRIDERICUS AUGUSTUS III, sedet Warschoviæ à d. 24 Sept. ann. 1733, natus d. 26 Sept. ann. 1696; simul Elector Saxonicus, sedet Dresdæ.
 8. Borussiæ FRIDERICUS II, sedet Regismoniti, Königsberg & Berolini ut Elector Brandenburgicus à d. 20 Maj. ann. 1740; natus d. 13 Jan. 1712.
 9. Sardinia CARL EMANUEL III, sedet Augustæ Taurinorum, Turino à d. 23 Aug. ann. 1730 simul Sabaudia Dux, natus d. 16 April. ann. 1701.

10. Neapolis & Siciliarum DON CARLOS;
natus d. 9 Jan. ann. 1716. sedet Neapoli
à d. 4 Maj. ann. 1734.


Pertinet ad Germanicum Imperium ELECTO-
RES, Churfurstar, novem; COMITES PA-
LATINI, Phalth = Grefwar, quatuor;
DUCES, Hertigar, viginti novem; MAR-
GRAVIH seu Marchiones, Marchgrefwar,
quinque; LANDGRAVIH, Landtgrefwar,
totidem & PRINCIPES, Furstar duode-
cim, propriarum ditiorum Domini. Cete-
rorum longè major est numerus.


Romanus Pontifex hodiernus est BENEDI-
CTUS XIV LAMBERTINI, sedet Roma à
d. 6 August. anno 1740, natus
d. 20 Mart. ann. 1675.

Μόνα τῶ Θεῶ δόξα!



Exemplaret Postar 3 ore Silf:mynt.





www.books2ebooks.eu